



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

Tractatvs II. De vita corporis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



terminatè debita sit, non tollit rationem vitæ: aliàs Deus per scientiam liberam, qua Antichristum futurum videt, minimè viuere: siquidem illa indeterminatè ei debita est, idest, illa, vel alia, qua Antichristum non futurum videret.

27.

Quinta sententia est P. Hurtadi disp. 3. de anima sect. 2. viuens esse, quod producit terminum immanentem non vtrunque, sed ob exigentiam innatam, qua terminus immanens ab intrinseco produci postulet: quo fit, vt essentia per proprietates, quas immanenter producit, minimè viuatur; eo quod ab essentia, cui immanent, produci non postulent, & de se indifferentes sint, vt ab intrinseco, vel ab extrinseco producantur. Verum in primis, cum naturaliter fieri nequeat, quin proprietates ab essentia fluant; quantitas v.g. à materia aliquid exigere debet, vt ita fluant: cum ergo non sit potior ratio, vt id exigar materia, quam quantitas ob reciprocā, & æqualem connexionem materiæ cum quantitate à se fluente, & quantitatis cum materia eam producente; certè tam materia, quam quantitas talem quantitatis fluxum, & quasi emanationem à materia postulat. Deinde terminus actionis nutritiæ, cum sit eiusdem speciei cum termino actionis primò generatiæ; & alteruter sit caro, & sanguis v.g. non postulat terminus prioris actionis magis proficisci ab intrinseco, quam terminus posterioris actionis: vnde si defectus eius exigentiæ vitalitati obstat; eoque nomine essentia per productionem proprietatum non viuatur; sanè animal, aut planta per nutritionem viuere nequebunt. Tandem: actio immanens per quam proprietates produciuntur, postulat prouenire ab intrinseco; cum nò diuinitus fieri possit, vt ab extrinseco proueniat: igitur essentia per eam actionem viuatur, vt vt per ipsam proprietatem nulla exigentia secum connexionem minime viuatur.

28.

Sexta sententia est, substantiam viuentem esse, quæ non est determinata ad vñum à generante, sed indifferens ad oppositos actus immanentes: etenim Deus, Angelus, & homo cum mente, ac libertate præditi sint, affirmare, vel negare, amare, vel odisse possunt: belluæ etiam tametsi in iisdem rerum circumstantiis nunquam non immanenter eodem modo operentur, eo quod libero arbitrio careant: tamen mutatis circumstantiis diuersos, & oppositos actus immanentes eliciunt, & fame modò, modò siti, nunc ira, nunc voluptate, interdum metu, & nonnunquam pudore tanguntur; & quidquid de his, ac similibus passionibus, quas belluis perperam negat Seneca lib. 1. de ira c. 3. & 4. [certè eodem indice impetus habent fera, rabiem, feritatem, incursum, nec non affectus iis oppositos, vt paulo infra explicat ibi: cito cadunt, mutantur in contrarium, & cum acerrimè senierunt expaueruntque, paucuntur, & ex fremitu, discursuque vesano statim quies, soporque sequitur. Plantæ etiam oppositos actus immanentes efficiunt: modò enim vnionem continuatiuam partium suarum, modo vnionem earum terminatiuam produciunt: deinde ramos, folia, &c. non sine immanencia efficiunt: in incremento, vel decremento partium, quæ in suo esse immutata manent, oppositos motus locales subeunt; & vel comprimuntur, vel dilatantur, ac versus oriens, vel versus occidens, aut aliorsum mouentur: in iis vero substantiis, quæ non viuunt, omnia alia vsuenerit, &

hanc operationum immanentium varietatem locum non habere experimento constat.

Contra tamen: quia si daretur substantia vnus obiecti, & vno duntaxat modo cognoscitiua, ea procul dubio intentionaliter viuere: & tamen ad oppositos actus immanentes nullam indifferentiam haberet. Deinde lapis descendere in centrum diuerso tramite potest, si à diuersis locis libere demittatur; & eodem etiam tramite descendens, diuersa tamen celeritate, ac celerius in fine quam in medio, aut in principio proruit: igitur ad oppositos actus immanentes indiueris circumstantiis absque vllò genere vitæ indifferens est. Præterea ignis modo punctum terminatiuum, modo continuatiuum priori oppositum in se immanenter producit, prout ignis ei contiguus existit, vel non existit.



## TRACTATUS II.

De Vita corporis.

### CAPVT PRIMVM.

Qua corporis partes animentur, siue viuificentur.



ITA corporis nihil aliud est, quam anima corporis: quæ ab Aristotele in hunc modum definitur: *est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis: actus primus*, idest substantialis, & non accidentarius: *corporis*, idest materiæ primæ: *physici*, idest corporis non mathematici, aut artificialis, sed naturalis: *organici*, idest habentis organa, siue instrumenta, hoc est, variorum accidentium, ac dispositionum multiplicem apparatus ad varias operationes eliciendas: *potentia vitam habentis*, idest habentis instrumenta idonea non vtrunque, sed ad operationes vitales eliciendas. Multa hinc Recentiores de significato eius particula *corporis*, aliarumque antecedentium, & consequentium: verum me iudice manifeste inuicilia, & vocalia sunt, & non tam philosophica, quam theologica, & ex materia de Eucharistia magna ex parte transcripta, iis ergo omittis quætionem propositam aggredior.

Assero primò: Sanguis Humanus anima rationali informatur: ira Toletus in libris de anima. Hurtadus disp. 1. ibid. sect. 1. Arriaga ibid. etiam disp. 1. sect. 9. subsect. 2. Caietan. Conradus, Medina, Syluester, Henricus, Hispalensis, & non pauci ex Medicorum, ac Philosophorum schola. Assertio suaderetur primò: quia ideo anima rationalis informat partes solidas corporis, carnem videlicet, & ossa, quia sunt veræ partes hominis, & ad humanæ naturæ constitutionem attinent: etiam sanguis (eademque est ratio de reliquis tribus humoribus) est vera pars hominis, & ad humanæ naturæ constitutionem attinet: ergo anima rationalis eum informat. Maior perspicua est: non enim ideo anima rationalis carnem, & ossa informat, quia in iis apparet operatio aliqua animi rationalis propria, quæque ab anima solum sensitiua, aut vegetatiua proficisci non possit: ideo ergo

præcise



præcisè eas informat, quia partes hominis sunt, & ad naturæ humanæ constitutionem pertinent. Minor autem suaderetur, quia si homo omni sanguine spoliaretur, & à Deo exanguis conseruaretur, procul dubio mutilus, & imperfectus esset: haud aliter ac si manus, aut pedes abscinderentur: signum igitur evidens est, sanguinem esse veram homines partem, & ad eius integritatem, & constitutionem more reliquarum partium attingere.

3. Rursus eadem minor multiplici autoritate suaderetur: nam in Epistola Cyrilli octava ad Nestorium approbata, & recitata coram Concilio Ephesino tract. 2. cap. 1. 2. sic habetur *Verbum vero factum esse carnem nil est aliud, quam quod in carne, & sanguine nobiscum similiter communicauit, ac nostrum corpus sibi proprium fecit, & homo prodiit ex muliere*. Rursus apud Innocentium III. extrauag. de celebrat. Missar. sic statuitur: *De latere Christi exiit sanguis, & aqua, ut esset signum corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores; quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale Verbum assumpsit*. Vltius in sacra Scriptura per carnem, & sanguinem tanquam per præcipuas partes totus homo intelligitur, ut perspicue constat ex Math. 1. 2. ibi: *caro, & sanguis non reuelauit tibi, & Pauli ad Ephes. 6. ibi: non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*.

4. Secundò suaderetur eadem assertio, & superior ratio corroboratur: si sanguis humanus non animaretur, in homine esset duplex forma substantialis: alia animata, inanimis alia: alia partes hominis fluidas, alia vero solidas afficiens, & perficiens. Quod autem hoc sit apertè falsum, hunc in modum ostenditur: si in homine daretur duplex illa forma substantialis, alia animata, inanimis alia; daretur etiam in homine duplex, aut etiam triplex anima, alias, aliasque eius partes informæ, videlicet vegetatiua, sensitiua, & rationalis, contra quam definitum est in octaua synodo Generali; quæ est Constantinopolitana 4. can. 11. cuius verba retulimus lib. 1. huius operis tract. 6. cap. 3. & propterea hic omittuntur. Sequela autem hæc manifestè suaderetur: quia si in sanguine humano, in quo nulla apparet operatio vitæ, eo ipso iuxta aduersarios nulla est forma vitalis, sed potius forma non vitalis ab anima omni realiter distincta; cur etiam in ossibus, in quibus nulla apparet operatio vitæ sensitiuæ, sed solius vitæ vegetatiuæ, vlla sit anima sensitiua, sed potius anima solum vegetatiua: & rursus si in carne, in qua nulla apparet operatio vitæ rationalis, & intellectuæ, sed solum sensitiuæ, ac vegetatiuæ, cur vlla sit anima rationalis, sed solum anima sensitiua simul, & vegetatiua: quo fiet ut in homine tres animæ realiter distinctæ reperiuntur. Quod si hoc ab aduersariis minimè admittatur, & potius vna, eademque anima rationalis in carne ubi non intelligit, sed sentit, & nutrit, & in ossibus, ubi nec intelligit, nec sentit, sed solum nutrit, existere censetur: non conspicio, cur etiam in sanguine existere negetur, tametsi in eo nec intelligat, nec sentiat, nec operationem facultatis nutritiuæ, aut loco motiuæ exerceat.

5. Tertiò suaderetur hæc assertio: quia si qua ratio anima rationalis non posset informare sanguinem, maximè quia sanguis non vnitur reliquis

corporis partibus; eo quod hæc sint solidæ, & sanguis fluidus, ac lubricus sit, vna vero eademque indiuisibilis anima partes inter se minime vnitas informare nequit: hæc ratio, qua non pauci, nec ignobiles aduersarij nituntur, nulla est, & falsum prorsus principium assumit. Minor suaderetur, quia homo est vnus ens per se: at vnus ens per se ex partibus inter se minime vnitis, quales censentur ab aduersariis esse caro, & sanguis, neutriquam resultare potest; sed duntaxat ens per accidens, & aggregationem, qua ratione acerrus lapidum vnus ens non per se, sed per accidens est. Quod si aduersarij adhuc contendunt, partes solidas, parteque fluidas, quamuis non vniantur, ob subordinationem tamen, & inseparabilitatem naturalem constituere posse vnus ens per se, non conspicio, cur ratione eiusdem subordinationis, & inseparabilitatis vna, eademque indiuisibili anima informari nequeant. Equidem aut nulla valet consequentia, aut valet hæc: partes corporis non vnite vnus ens per se constituunt: ergo partes corporis non vnite vnâ formam suscipiunt, aut certè possunt.

Quartò suaderetur hæc assertio ad homines contra eos: qui naturam irrationalem à Deo assumi nequire satis probabiliter arbitrantur: nam Verbum assumpsit sanguinem humanum: cum ergo nullam substantiam irrationalem assumere potuerit iuxta non paucos eorum, quibuscum disceptamus, efficitur sanè sanguinem non esse substantiam prorsus irrationalem, sed potius animo rationali formatam. Antecedens certissimum est, & expresse definitum à Clemen. VI. in extrauag. vnigenitus, de pœnitent. & remissionib. ibi: *in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, qua tamen propter vniõnem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse*. Quod autem aliqui censent, substantiam irrationalem completam à Deo assumi non posse, eo quod in illa locum habeat communicatio idiomatum, qua dici posset: *Deus est equus, bōs, &c.* substantiam verò irrationalem incompletam à Deo assumi posse, eo quod in illa locum non habeat communicatio idiomatum, qua dici possit: *Deus est sanguis, phlegma, &c.* hoc, inquam, friuolum, & nullius momenti est: siquidem tam repugnat, Deum habere causam incompletam, & inadæquatam, quam habere causam completam, & adæquatam: ergo similiter tam repugnat, Deum assumere substantiam irrationalem incompletam, ac assumere substantiam irrationalem completam.

7. Asserto secundò: sanguis belluius nulla anima, ne belluina quidem, animatur: si, ut multis verius videtur, animæ belluarum sint suapte natura diuisibiles. Hanc assertionem, quamuis supposita priori singularis, & noua sit, ob id tamen reiiciendam non esse, sed potius tanquam verissimam amplectendam esse arbitror: siquidem, ubi semel supponatur, nullius belluæ animam esse indiuisibilem, profecto eæ belluini corporis partes, in quibus bellua sentit, & vegetat, anima sensitiua, & vegetatiua informabuntur, eæ vero partes, quæ à contrario vegetationem subeunt, minime vero sentiunt (cuiusmodi sunt ossa) anima duntaxat vegetatiua à priori realiter distincta, ac specificè diuersa informabuntur: ergo etiam eæ partes, in quibus nec sensationem, nec

vegetationem



vegetationem, nec ullam aliam operationem vitalem exercet, nulla forma vitali, nullave anima informabuntur. Antecedens infra constabit, cum formas belluinas partibus heterogeniis, si vllatenus partibiles sint, constare ostendemus. Consequencia autē elarior est, quam vt à nemine negari possit: tum sit vltterius: atqui sanguis belluinus nullam habet operationem vitalem: igitur nulla anima, formave vitali informatur. Subsumptum suadetur, quia in primis.

8. Quod docent B. Hurtadus disput. 1. de anima sect. 6. & P. Arriaga ibidem sect. 9. subsect. 1. sanguinem augeri per intus-sumptionem; ac proinde vitæ vegetatiuæ functiones exercere, facile euertere potest: siquidem nullo indicio colligi potest, sanguinem augeri per intus-sumptionem, quo non minus probabiliter colligi possit, lac, & semen, imò etiam aquam, & vinum, mel, & quemcunque, & qualemcunque humorem per intus-sumptionem augeri: at iuxta aduersarios lac, & semen, & iuxta omnes aqua, & vinum, & quicquid alius humor ea ratione non augetur: ergo nec sanguis. Deinde à priori: substantia, quæ per intus-sumptionem augetur, debet habere continuos, ac perennes poros, per quos alimentum statim, & quasi dispositis vicibus attrahi possit: at eos continuos, ac perennes sortiri nequit substantia vlla fluida, & labilis; cuius nimirum partes, cum soliditatis, & consistentiæ expertes sint, in poros illico confluent, & alimenti vias obturabunt.

9. Quod autem Medici quidam apud Hieronymum à Rua controuerf. 4. scholastica in 1. part. controuerf. ad 3. docent, in sanguine aliquam vitalem operationem exerceri, videlicet motum localem, quo in diuersas partes corporis agitur; vt cum quis præ verecundia rubet, facile refelli potest. Primò, quia nullum animal progressiue, ac localiter moueri potest, quod sensitiuum non sit, vt experientia constat, & perspicue docetur ab Aristotele lib. 3. de Historia animalium: ergo etiam nulla pars animalis localiter, ac progressiue moueri potest, quin etiam sensitiua sit: cum ergo sanguis sensitiuus non sit, non poterit motum localem, & progressiuum ab intrinseco sortiri. Secundò, quia motus localis, & progressiuius ab appetitu de facto semper imperatur: quo fit, vt in nobis, penes quos est nostri appetitus dominium, motus etiam localis liber sit, & pro cuiusque arbitrio poni, aut impediri possit: at motus sanguinis ab appetitu non imperatur; cuius signum est, quod nos, qui appetitui nostro dominamur, huic motui dominari, eumque pro libito ponere, vel impedire non possumus: impera, si potes, sanguini, ne, cum verecundaris, faciem non operiat; aut, cum times, ad cor non recurrat, vsque ad faciei pallorem; aut, cum gaudes, per totum corpus non diffundatur, vsque ad cordis & pectoris, à quibus leniter exit, dilationem & requiem; aut, cum inuides, corporis membra sensim non deferat, vsque ad eorum liuorem; nec non cordis, pectoris, ad quæ refluit, angustias. Tertiò, quia si ex eo, quod occasione alicuius passionis animum sollicitantis sanguis mouetur versus aliquam corporis partem, colligere fas est, eum moueri modo vitali, & animali; pariratione dici poterit, humorem per vterque ad vesicam transmissum; aliaque corporis excrementa modo vitali, & animali moueri: siquidem etiam occasione alicuius passionis multoties excernuntur. Consequens autem quis ridiculum

esse non conspiciat?

Quocirca tenendum est, sanguinem non ab intrinseco moueri, sed extrinsecus, & mediis qualitatibus impulsui, quas ab aliis partibus animatis accipit. Quod autem cum commotione, & alteratione appetitus sanguis moueatur, non ideo est; quod ad edictum appetitus, aut voluntatis, sicuti pes, aut brachium moueatur, vt experimento constat, & ex eo etiam perspicuum, quod appetitus commoti actus non motum sanguinis, sed alia obiecta iucunda, vel iniucunda sibi præstaurant; sed ideo, quia, quemadmodum humorum varia temperies, & commotio ad varios appetitus sensitiui actus physice disponunt: ita è conuerso varij appetitus nostri effectus ad variam sanguinis, & humorum commotionem, qualitatesque eius commotionis effectrices disponunt: sic actus habitum, & è contrario habitus actum quadam quasi alteratione generant.

Secundò suadetur eadem assertio ad homines (vt aiunt) contra Caietanum, Syluestrum, aliosque Thomistas: nam ij vbi supra in quouis animali distinguunt duplicem sanguinem: alium perfectum, purum, & defecatum: alium vero imperfectum, impurum, ac feculentum; & priorem sanguinem, non verò posteriorem animari censent; contra quos ita argumentor: multo maior est diuersitas inter sanguinem humanum, & belluinum, quam inter publicè hominis sanguinem magis, & minus perfectum: at ipsi inter duplicem hominis sanguinem distinguunt, aliumque animatum, inanimum alium adasserunt: cur ergo eandem distinctionem inter sanguinem humanum, & belluinum admittere grauantur? præsertim cum ratio discriminis inter sanguinem humanum, & belluinum non vna nobis assignata, & assignanda sit; ratio verò discriminis inter sanguinem humanum perfectum, & imperfectum nulla ab his Authoribus adduci possit.

Tertiò suadetur illam assertio: quia quæ argumenta suadent, sanguinem humanum animari, ea in sanguine belluino minime militant, si supponatur animas belluarum esse diuisibiles: ex hac ergo hypothese sanguis belluinus inanimus est. Antecedens inductione suadetur: nam ideo in primis animarationis sanguinem informat, quia indiuisibilis manens plures corporis partes informare potest, & debet: cum igitur non sit potior ratio de vni quam de alijs, omnes omnino tam liquidas, quam solidas informabit: hoc autem argumentum in anima belluina, si sit indiuisibilis, quem locum habere potest? Deinde ideo secundo anima rationalis sanguinem humanum quantumlibet omnis vitalis operationis expertem animare potest, quia partes corporis, vbi non intelligit, informat, tametsi intellectiua sit, partesque corporis vbi non sentit, sed solum nutrit, etiam informat, tametsi non solum nutritiua, sed etiam sensitiua sit. Hæc autem ratio non militat in equo v. g. cuius anima, si diuisibilis sit, nullibi sensitiua est, vbi non sentiat; & vegetatiua nullibi, vbi non vegetet. Tertium etiam argumentum ad animationem sanguinis belluini probandam non facit, cum Verbum sanguinem belluinum perinde ac humanum minime assumerit. Quartum etiam argumentum huc non facit, cum non directè, sed indirectè tantum, & ab euerfione oppositi fundamenti procedat.

Assero tertiò: dentes, ungues, & capilli animati

10.

11.

12.

13.



rius substantiæ completæ, cuius instrumenta, & ornamenta sunt, re ipsa animantur. Ita B. Thomas, Scotus, Suarez, & alij communiter. Atque in primis dentes naturam ossium sortiuntur, imò sunt ossa quædam non carne contexta, nec semper duratura, sed extra carnem sese exercentia, & aliquando casura: cum igitur ossa omnium confessione vita vegetatiua polleant, id ipsum de dentibus negari nequit. Quod autem ad ungues, de quibus maior est controuersia, attinet, eos etiam animari suadet: tum quia ab ossibus non differunt, ut perspicue docet Aristoteles lib. 3. de Histor. animalium cap. 12. ibi: *quod idem unguibus etiam euenit: quippe, cum in nonnullis animalium genus unguium præ nimia duritudine nibilo ab ossibus differat.* Hactenus ille: quod si aliqui ungues ossæ naturæ sint, reliqui etiam eiusdem erunt, cum omnes solum penes magis, & minus inter se differant. Tum etiam quia ungues plerumque reliqui corporis affectionis participant: sic cutis calorem amulantur: sic in pueris ad incrementum cæterarum partium notabiliter crescunt: sic demum ætatis flexu à teneritudine ad duritiem deflectunt: haud aliter ac in reliquis membris vsu venit: signum igitur manifestum est, eos vitam, animamque sortiri eandem essentialiter, aut integraliter cum reliquis membris. Tum quia si ungues præscindantur, decursu temporis cuspidem generant: manifestum igitur est, eos non tantum crescere versus radicem carni proximam, per meram iuxtapositionem, sed etiam versus partem extremam, & à carne dissociari per subtilem attractionem, & artificiosam intus-sumptionem alimenti vsque ad eam partem, quemadmodum ad vitam nutritiuam oportet. Tum demum quia in unguibus ceruntur fibræ quædam, ac venulæ pabuli deriuatrices: ergo, &c.

14.

Quod autem ad capillos attinet, eos etiam in homine informari animo rationali, & in belluis animo irrationali, iisdem penè rationibus suadet: nam in primis capilli affectiones reliqui corporis participant: sic qui cutem habent blandam, tenuemque, exili etiam, blandoque capillamento gaudent: qui verò asperam, crassamque cutem sortiuntur, setosi, & hirsuti sunt, ut notauit Aristoteles lib. 3. de histor. animal. cap. 9. sic etiam pro varia quatuor humorum per reliquum corpus commixtione experimur, capillos varios etiam colores induere, & vel nigrare, vel flauere, vel albescere, vel rutilare: sic, cum animal calore destituitur, experimur etiam capillos calore destitui: vnde senes defectu eius caloris illico canescunt: canicies enim absentiam caloris, & frigiditatem arguit ut in niue, & pruina conspicuum est. Deinde capilli cuspidem, conumve generant: non ergo versus radicem solum per meram iuxta positionem, sed etiam versus apicem per subtilem, interiorémque alimenti ad superiores partes assumptionem augentur, sicut ad vitam vegetatiuam oportet. Rursus id in nobis est capillus, quod in arboribus frondes, & volucris plumæ: quò allusit ille 13. Metamorphoseos ibi:

*Turpis sine frondibus arbor*

*Turpis equus nisi colla inba flauentia velent,  
Pluma regit volucres, quibus sua lana decori est,  
Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.*

At arborum frondes omnium confessione viuunt, & vegetantur; & plumæ etiam volucrum pari ratione viuunt, ac nutriuntur: tum quia suam

*R. P. Lyncei Philosophiæ Tom. II.*

habent organorum varietatem, sicut res, quæ viuere creduntur: tum quia secundum proportionem, & seruata eadem figura, sicut arbores, crescunt. Tum demum quia oculi illi, quibus plumæ interpuncti sunt, paulatim crescunt, & maiores fiunt: ergo non tantum propè cutem, & per meram iuxtapositionem plumæ huius auis augentur, sed etiam procul à cute; ac proinde per alimenti subtilem intus-sumptionem, occultamque, & secretam per poros attractionem.

Assero quartò, & vltimò: semen, & lac non animantur. Ita plerique Philosophi, & Medici: & quidem quod ad belluas attinet, res est clara, si earum sanguis non animatur: hoc enim supposito, quo iure earum lacti, & semini anima tribui poterit? Quod verò ad hominem attinet, in hunc modum assertio suadet: anima rationalis eas tantum partes hominis informat, quæ verè, & proprie tales sunt, & ad humanæ naturæ constitutionem, & integritatem spectant: at semen, & lac eiusmodi partes non sunt: ergo &c. Maior ex iis constat, quæ supra de sanguine humano differuimus. Minor probatur: tum quia semen, & lac resurfecturis restituenda non sunt, ut omnes Theologi docent, cum tamen certum sit, iis restituendas esse omnes partes, quæ ad humanæ naturæ integritatem, & constitutionem spectant. Tum etiam quia pueri, & puellæ habent partes omnes ad humanæ naturæ integritatem necessarias, tametsi in minori quantitate, & extensione: at semine, & lacte carent. Tum demum quia lac, & semen ad alterius aut productionem, aut conseruationem potissimum ordinantur, non ergo ad integritatē, & constitutionē eius indiuidui, cui existunt.

## CAPVT II.

*Obiectiones contrariæ solvuntur.*

**N** Vllum sanguinem animari tenent Suar. tom. 1. in 3. part. disp. 15. sect. 3. & Vasq. ibidem disp. 36. c. 3. Card. de Lugo disp. 14. de incarn. sect. 4. n. 68. Tanner. 3. p. disp. 1. q. 4. Compton. disp. 3. de an. sect. 3. & per plures Theologi, quos pro se referunt, necnon plerique Medici cum Galenol. 4. de vsu partium. Vnde contra primam assertionem argues primò: nutritio est conuersio sanguinis in carnem, & ossa, quibus homo constat: cum sanguis sit alimentum proximū, & immediatum hominis, teste Arist. 1. 2. de partib. animal. c. 3. & alibi sapè: at nutritio est conuersio substantialis, siue vnus substantiæ in alia à se diuersam: ergo etiam conuersio sanguinis in carnē, & ossa, quibus coalescit, est cōuersio substantialis, siue vnus substantiæ in aliam à se diuersam: quod si sanguis animæ rationali informaretur perinde ac caro, & ossa nō esset substantia ab iis diuersa; ac proinde ea conuersio substantialis futura non esset. Respondeo: nutritio bifariam dici potest conuersio, nimirum mediata, vel immediata: quatenus enim sanguis per poros attractus conuertitur in carnem, est conuersio immediata alimenti in substantiam aliti: quatenus verò est conuersio cibi chili, & chimi, &c. in substantiam aliti, est conuersio mediata. Rursus nutritio prout est conuersio mediata est conuersio substantialis, id est, vnus substantiæ in aliam à se specie diuersam: id quod satis est, ut cibus chilus, chimusque

Hh anima



anima rationali non informetur, atque à carne, & ossibus specie distinguatur, tamen si sanguis anima rationali afficiatur, & ossibus specie non distinguatur. Ceterum nutritio prout est conuersio immediata non est conuersio substantialis, sed tantum accidentaria: neque oppositum aduersarij suadent. Quid: quod non desunt, qui partes hominis heterogeneas esse, & vnionibus partialibus specie diuersis constare censent: in quorum sententia, quam aduersarij plurimi amplectuntur, sanguis tamen si anima rationali informatus ob vnionem tamen specialem cum illa, à carne, & reliquis corporis partibus specie differret, prout oportet ad hoc, vt nutritio, siue conuersio sanguinis in carnem, & ossa sit conuersio substantialis, id est, vnus substantiae in aliam à se specie diuersam. Quid secundo: quod plures Medici cum Vallesio, necnon plures Theologi tenent, inter carnem & sanguinem mediare tres, aut quatuor alios humores, rorem videlicet, cambium, & glutenem, eosque vel omnes, vel certe aliquos à carne, & ossibus specie differre, ac nullo modo viuere: in qua sententia, de qua infra fortassis sermo recurret, nutritio non erit conuersio immediata sanguinis in carnem, & ossa, sed alterius humoris, ac proinde substantialis esse poterit.

17. Obiiciunt secundo: cum vena scinditur, & ex ea sanguis in scutellam defluit, sanguis intra venam contentus, & sanguis extra eam existens sunt eiusdem profus species, vt sensu ipso notissimum videtur: at sanguis extra venam existens est inanimis; quis enim asserat animam rationalem extra corpus existere, & in scutella innatare? igitur etiam sanguis vena clusus inanimis censendus est. Huic argumento respondet Arriaga concessa maiori, & negata minori: & absurdum arbitratur, animam rationalem intra scutellam, & extra corpus palpitare, quandiu emissio sanguinis durat, & sanguis è corpore missus cum sanguine venali continuatur; haud aliter ac cum vi morbi incidentis, aut inflati vulneris intestina alicui foras elabuntur, anima rationalis in intestinis à corpore defluxis, non tamen à corpore interruptis existit. Quod si hoc alicui durum videatur, dici poterit, sanguinem eo ipso, quod extra corpus emittitur, animam spoliari, & forma cadauerica informari, quamuis haec diuersitas, & mutatio sensu non percipiatur; haud aliter ac cum pomum ex arbore abscinditur, omnium consensu anima vegetatiua spoliatur, & augmenti, ac nutritionis incapax efficitur, tamen si haec diuersitas, & mutatio sensum fallat, & experientiam prætereat.

18. Obiiciunt tertio: si sanguis humanus informaretur anima rationali, esset vera pars corporis: cum ergo partes omnes corporis Christi sub speciebus panis vi verborum ponantur: certe sanguis Christi sub iis eadem vi ponetur: consequens autem est absurdum, & contra Concilium Tridentinum, in quo iterum iterumque asseritur, solum corpus Christi Domini vi verborum poni sub speciebus panis, & sanguinem solum eadem vi poni sub speciebus vini; nec nisi per meram concomitantiam, & naturalem connexionem corpus sub speciebus vini, & sanguinem sub speciebus panis collocari. Verum in primis hoc argumentum in sententia aduersariorum aperte instatur: siquidem sanguis, tamen si inanimis sit, est vna pars cor-

poris humani; vt supra capite præcedenti luculenter ostendimus: explicandum igitur aduersariis superest, cur sub speciebus panis vi verborum non collocetur. Deinde dici potest; corpus, quatenus abstrahit à viuo, & mortuo, poni sub speciebus panis vi verborum: sanguinem autem non esse partem corporis, prout abstrahit à viuo, & mortuo, sed prout determinatè viuum est. Præterea non impossibiliter cum Hurtado dici potest, nomine corporis positi sub speciebus panis vi verborum intelligi partes solidas tantum, cum ea sola cibo & comestioni deseruire possint; partes autem fluidas, cum non cibi, sed potus instar habeant, nomine corporis intelligi nequire: cum igitur sanguis inter partes solidas corporis connumerari non possit, certè, quantumlibet animatus, nomine corporis vi verborum sub speciebus panis collocari minime subauditur.

Nullum sanguinem etiam belluinum non animari censent Caietanus, Syluester & ij Authores; quos supra pro prima Assertionem adduximus. Vnde missis iis argumentis, quae supra obiter soluta sunt, arguunt primò: amissio sanguine anima etiam illico amittitur: ergo quia anima in sanguine continetur. Verum quemadmodum aeris, per quem respiramus, copia amissa, illico vitam, animamque expiramus, & amittimus, quin aer propterea viuatur: ita similiter in presenti, &c. Arguunt secundo: adeps, siue pinguedo animalis teste Galeno libro 3. de temperamentis, est sanguis frigore concretus, vel teste Aristotele libro 1. de generat. animal. capite 19. est sanguis per bonam nutritionem concoctus: at adeps cuiusque animalis viuunt: tum quia id communiter Medici docent: tum quia per intusumptionem non minus quam caro augetur; nec eiusmodi augmenti vllum maius indicium in carne, quam in adipe elucet: tum demum, quia adeps, vt experimento inflati vulneris constat, propriè sentit. Respondeo adipem non esse sanguinem, sed ab eo specie differre: Aristotelem autem & Galenum sanguinis, aut concreti, aut concocti nomine adipem appellare; eo, quod sanguis præ nimia concoctione, ac concretionem in adipem à se specie diuersum conuertatur: haud aliter ac aquam concretam crystallum appellamus, tamen si crystallus ab aqua specie distinguatur.

20. Opponunt tertio duplicem auctoritatem: alteram sacram, profanam alteram: prior est Leuitici c. 17. ibi: si venatione, atque aucupio ceperis feram, vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat illum terra; anima enim omnis carnis in sanguine est. Posterior est Aristotelis l. 3. de Histor. animal. c. 19. ibi: palpitat intra venas sanguis omnium animalium, pulsuque simul vndique mouetur, & semper, quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet. Respondeo: anima omnis carnis in sanguine esse dicitur; non quod sanguis anima omnis carnis tanquam forma constet: cum hoc falsum sit etiam iuxta plerisque aduersarios, qui non animam carnis, sed aliam partialem specie diuersam sanguini attribuerit; neque etiam eo quod, sanguis, & anima, & forma corporis sit, vt nonnulli stulte arbitrati sunt; sed quia amissio sanguine vita amittitur: quo etiam nomine vita nostra, animaque in calore naturali



turali consistere dicitur, & hic ipse calor vitalis nuncupatur. Aliam eius loquutionis rationem, eamque subtilissimam tradit Augustinus libro 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 6. ibi: sic enim dictum est, anima omnis carnis sanguis est; quomodo dictum est, petra erat Christus, non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur: non autem frustra lex animam voluit significare per sanguinem, rem scilicet inuisibilem per rem visibilem, nisi quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus in nostro corpore, plus ceteris humoribus principatur: ita ut ubique fuerit vulnus inflatum non humor alius, sed ipse procedat: ita quoque anima, quia omnibus, quibus constamus, inuisibiliter praevalet, illo melius significatur, quod omnibus, quibus constamus visibilibus praevalet.

21.

Tertia assertioni nostrae refragantur Galenus in lib. artis Medicinæ, tamen sibi satis constans, Peramattus, & communiter Medici. Quod autem arguant, dentes, ungues, & capillos fieri ex materia superflua, & reiectanea, siue excrementitia, ea videlicet, quæ in carnem, & ossa conuertere non potuit, ac proinde eos nutrire, seu vitaliter augeri non posse, cum nutritio fiat ex iis, quæ natura non negligit, sed feligit: hoc, inquam, friuolum est: siquidem succus terræ per radices arboris attractus, ac per fibras in caudicem, & ramos dispersus, non totus in lignosam arboris substantiam conuerteritur, sed aliquas habet partes excrementitias, eique nutritioni inutiles, alias aërias, aquosas alias; quarum hæ in fructus, illæ verò in flores formantur: & tamen fructus & flores viuunt, & nutriuntur: quod igitur velut superfluum, & inutile ad nutritionem aliquarum partium ab iis excernitur, & excreatur; id ad veram nutritionem, & vitalem augmentationem aliarum partium conferre potest.

22.

Quarta, & vltima assertioni, quod ad semen attinet, refragantur Plato in Timæo, Themistius, Galenus, Vallesius, Peramattus, Zimara, & alij. Quorum ceteris argumentis, quia minus operosa sunt, omisso, ad illud quod à feminibus plantarum proculdubio vitaliter, & per intussumptionem crescentibus, quandiu plantis inhærent, adduci solet, dicendum est, disparitatem in eo esse, quod semina plantarum non tantum semina, verum etiam fructus sint: semen autem humanum non fructus, sed virtus eius procreatrix sit. Quod ad lac attinet, illud animari, & viuere, à ratione suaderi potest: lac nihil aliud est, quam sanguis menstruus defecatus, & probe concoctus, ut docere videntur Aristoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 8. B. Thomas in 1. o. caput 10b, & alij. Partes communiter: quod etiam ex eo constat, quia menstruus sanguis cessat in feminis post conceptionem fœtus, necnon etiam maiori ex parte edito fœtu, quandiu lac manat: at qui sanguis, præsertim humanus, animatur: ergo & lac. Verum probabilius est, lac esse speciem diuersam à sanguine, ut perspicue docent Vallesius lib. 1. controuersiar. cap. 22. & Vega lib. 6. alijque Medici communiter. Quæ autem ab autoritate, & ratione in contrarium adducta sunt, conuincunt quidem, lac ex sanguine menstruato fieri, non verò eiusdem cum eo speciei esse, ut intuenti constabit, & ex nuper in simili dictis perspicuum est.

## CAPVT III.

## An partes animatae substantialiter dissimiles sint?

Afferendum primò est, in belluis partes animatas heterogeneas, ac substantialiter dissimiles esse, & oculos, auresque v.g. non eadem specie forma, sed diuersa constare; si forte formæ, quibus constât, sunt diuisibiles in partes integrales, inuicemque distinctæ. Ita P. Suarez disp. 15. Metaphys. sect. 19. Pererius 6. Physicor. Compton. disp. 4. anim. sect. 1. Hurtado disp. 2. de anima sect. 9. Venetus, Niphus; & alij non pauci: quantum ut verum fatear, hi omnes (excepto Hurtado) inter partes corporis humani, & partes reliquorum animalium, quod ad præsens attinet, minimè distinguant, neque etiam loquantur, ut nos ex hypothese, sed absolute. Assertio probatur: quia ex eo colligimus equum, & leonem differre specie, quia ab intrinseco, & inamissibiliter diuersas dispositiones, ac diuersa organa, & accidentia sortiuntur: at etiam oculus equinus, & auris equina ab intrinseco, & inamissibiliter diuersas dispositiones, & diuersa organa, & accidentia sortiuntur, ergo, &c. Maior perspicua est, quia seorsim ab ea proprietatum intrinseca exigentia, & inamissibili possessione, quod distinctionis specificæ inter equum, & leonem fundamentum superest; aut quo argumento, qui eam neget, impugnari poterit? Minor etiam perspicua est: siquidem oculus equinus retenta propria essentia nunquam, & nusquam deprehensus est, alias dispositiones præter visuales, & oculatas habuisse, aut eas cum dispositionibus aurium, aut narium commutasse: eas ergo inamissibiliter possidet: vnde etiam consequitur, eas ab intrinseco, ac vi propriæ exigentiæ habere: alias cur eas aliquando amittere non posset?

23.

Huic argumento communiter responderi solet oculum equinum inamissibiliter habere dispositiones ad visum necessarias, easque etiam ab intrinseco, id est, ob innatam earum exigentiam habere. Ceterum eam exigentiam non esse determinatam, sed indeterminatam, & vagam; qua videlicet substantia oculi equini non dispositiones visuales præ aliis, sed vel illas, vel alias quasque equinas postulat: vnde non esse, cur vi illarum ab aure equina specie differat, cum hæc etiam easdem dispositiones eadem indeterminatione postulet: at equus dispositiones equi proprias, & leo etiam leoninas dispositiones determinatè postulat: vnde, &c. Ratio verò discriminis vtriusque est, quia cum oculus equinus, & auris equina sint partes equini compositi, datur totum, quod dispositiones oculi, & dispositiones auris proprias determinatè exigat: vnde non est, cur singula partes vllas dispositiones determinatè postulent, sed potius totam sui curam relinquunt toti, in quo componuntur: at leo, & equus non sunt partes vllius compositi.

24.

Verum hæc solutio absque negotio confutari potest. Primò quia adhuc superest soluenda difficultas illa, cur supposita indistinctione specifica partium eiusdem totius, adhuc leo, & equus specie distinguantur: quemadmodum enim dicitur, oculum equinum, auremque equinam specie non differre, dispositionesque diuersas, quas de-

25.



terminatè possident, determinatè non postulare; eo, quod sint partes eiusdem totius, quod eas dispositiones determinate postulare possit; ita similiter defendi poterit, equum, & leonem non differre specie, nec diuersas dispositiones, quas determinatè possident, determinate postulare; eo quod sint partes subiectiue eiusdem totius potestatiui; siue, quod perinde est, indiuidua eiusdem speciei, cui incumbat, eas dispositiones determinate postulare; aut, si mauis, eo quod sint partes actuales, tamen per accidens eiusdem vnio, quod eas dispositiones sibi determinate, & suis partibus indeterminate postulet. Qui hoc propugnet, quo argumento impugnari poterit? præsertim, cum sicut indiuidua propagationem speciei, eiusque bonum postulant; ita etiam species determinatam exigentiam dispositionum indiuidualium modo præfato sortiri possit: & si, cur partes vniuersi bonum commune, & vniuersale appetunt; ita etiam appetitus vniuersi ad bonum suarum partium, ac dispositiones per eas reparitas descendere posse videatur. Vltèrius ea solutio confutatur: siquidem materia prima equi habet peculiare affectiones, nimirum quantitatem, si fortè ab ea distinguitur, vocationem, durationem, aliasque similes: forma etiam equi habet alias affectiones sibi peculiare, videlicet tales, ac tales sentiendi, vegetandi, ac progrediendi gradus: at materia equina determinate postulat suas affectiones; forma etiam equina suas, quantumlibet ambæ sint partes eiusdem totius, penes quod talium affectionum exigentia esse possit.

26.

Assero secundò: partes continuæ, siue integrales hominis inter se specie non distinguuntur. Ita Hurtadus vbi supra lect. 9. Arriag. d. 1. de an. f. 6. Quieto cont. 1. p. 7. n. 6. Fonseca, & ex antiquis Scotus, Albertus, Gregorius, Gabriel, Durandus, Marsilius, Caietan, & alij, quos referunt, & sequuntur Conimbricenses 1. de generat. cap. 4. q. 22. art. 3. Assertio suadetur: quia si partes integrales hominis substantialiter dissimiles sunt, ac specie diuersæ, eiusmodi dissimilitudo, ac diuersitas; aut provenit ex eo, quod caput humanum, & cor humanum habeant formas substantiales specie diuersas; aut ex eo, quod habeant uniones substantiales specie diuersas: at neutrum dici potest: ergo, &c. Quod prius dici nequeat, probatum manet lib. 2. tract. 6. cap. 2. & 3. vbi pluralitatem formarum substantialium in homine vniuersim reiecit: & quod attinet ad pluralitatem animarum, quas nonnulli Nominales in hominem inuehant, expresse improbatum manet in 8. Synodo Generali can. 11. ibi: *apparere quosdam in tantum impietatis venisse, ut homines duas animas habere dogmatizarent: tales igitur impietatis inuenerunt, & similes sapientes, cum vetus, & nouum testamentum, omnesque Ecclesie Patres unam animam rationalem hominem habere assenserunt, sancta, & vniuersalis synodus anathematizat.*

27.

Quod autem posterius, & inter aduersarios præsertim Neothericos communius dici nequeat, paulò operosius probandum est. Atque in primis vnio capitis v. g. & vnio cordis ita comparatæ sunt, ut extrema vtriusque speciei indistincta sint, quod ad materiam vtriusque affectam attinet; numero verò indistincta, quod ad animam rationalem vtriusque affectam spectat: cur igitur ipsæ uniones naturam extremorum sequi, ac specie indistinctæ, & homogeneæ esse nequeant? Non inficior,

inter eadem extrema modos impares, specieque diuersos interici posse, & solere, ut vel in quantitate cernere est, quam Deus modo generat, modo creat, si hæc actiones modales sint. Caterum in præfati diuersarum unionum inter non diuersa extrema, quæ utilitas, nedum necessitas esse potest: Præterea: si vnio capitis esset diuersa specie ab vnione cordis, diuersa quoque ab ea dispositiones exigeret, non posset eiusmodi vnio non esse forma substantialis; ac proinde in materia capitis duæ formæ substantiales simpliciter tales congestæ, & cumulatae essent, contra quam euenire posse lapsius à nobis statutum est. Supposita ergo falsitate consequentis, quam etiam plerique aduersarij supponunt, sequela probatur: quia ut ait Aristoteles 7. Metaphysicorum text. 49. & cum eo reliqui Philosophi: *forma, siue actus est, qui distinguit*: at caput humanum, & cor humanum specie distinguuntur, ac substantialiter dissimilia sunt per solam unionem vtriusque: ergo vnio vtriusque est vera forma substantialis. Deinde iuxta Aristotelem 1. Physicorum cap. 7. t. 69. aliosque Philosophos forma est, quæ constituit hoc aliquid: at vnio capitis humani constituit caput humanum, prout est hoc aliquid, siue quid distinctum specie à quouis alio corporis membro.

28.

Vltèrius vnio capitis est prima, & præcipua radix earum proprietatum, ac dispositionum, per quas caput à corde, & reliquis membris specie differt: igitur est forma substantialis capitis. Antecedens perspicuum est: siquidem materia prima, & anima rationalis non est prima, & præcipua radix determinatè postulans eas operationes, ac dispositiones in ordine ad quas caput humanum à corde humano differt: alias cor etiam easdem operationes, ac dispositiones haberet, utpote quod eadem materia, & anima rationali potitur: ergo sola vnio capitis est eiusmodi radix. Consequentia etiam perspicua est: siquidem ideo anima rationalis est forma substantialis hominis, quia est prima, & præcipua radix earum operationum, ac dispositionum, in ordine ad quas homo differt à leone, & omni alio animali, quod homo non est: ergo si vnio capitis, &c. Rursus ad hominem ideo nonnulli aduersariorum censent, vocationem v. g. esse modum, & non rem absolutam: quia si vniretur per unionem à se distinctam, prout admodum oportet, ea vnio etiam esset vocationis rei, utpote quæ rem ad determinatum loci spatium essentialiter alligaret, illudque præ quouis alio postuleret: at etiam vnio illa capitis ad determinatas operationes, ac dispositiones alligat, easque, & non alias cordi consentaneas natura sua postulat: ergo ipsissima forma substantialis censenda est. Tandem si qua ratione in hac sententia, quam impugnamus, vnio capitis eius forma substantialis dici non deberet, maxime quia esset modus, vel quia aliam formam substantialem, nimirum animam rationalem præsupponeret: at neutrum horum satisfacit: non primò, quia possibiles sunt proculdubio plures formæ substantiales, quæ modales, non absolutæ sunt: cur enim quod de facto præstat per formam equi, & per eius unionem præstari nequeat in alia rerum serie per vniam indiuisibilem entitatè vtriusque æquiualem? igitur quod vnio capitis modus sit non obstat, quominus vera forma substantialis sit. Secundum etiam dici non potest, quia tamen vnio capitis præsupponat aliam formam substantialem, videlicet animam rationalem,



tionalem, non tamen informantem, aut mundus formae substantialis exercentem: cur igitur vnio substantialis pro posteriori adueniens informare, & munus formae substantialis exercere nequeat: imo quamuis ea vnio animam rationalem actu informantem supponeret, aduersariis explicandum superest, cur quemadmodum vna cognitio aliam cognitionem actu dominantem supponit, & tamen pro posteriori ipsa denominat; cur inquam, in praesenti &c.

29. Porro autem, ne quis existimet argumenta nuper proposita in nos retorqueri posse, explicandum accuratè nobis est, cur in quavis sententia modus vnionis forma substantialis non sit: siquidè siue partes integrales hominis sint homogeneae, siue heterogeneae, vnio humana est forma, siue actus, cum materia, subiectumve non sit, & est etiam substantia: ergo est forma substantialis. Verum in primis haec instantia sexcentas instantias patitur: entitas namque aquae est potentia quadam productiva gratiae, & est etiam naturalis: ergo est potentia naturalis & non obediens. Deinde distinctio virtualis est distinctio, & est realis, siue existens à parte rei: ergo est distinctio realis. Rursus creatio Angeli est actio, & est accidens iuxta non paucos: ergo est actio accidentalis, & non substantialis. Praeterea actus intellectus comparatiuus duorum obiectorum realiter indistinctorum, generis nimirum, & specierum, est relatio eorundem, cum omnis comparatio relatio sit, & est quid reale: ergo est relatio realis, & non solius rationis. Tandem substantia materiae, iuxta aduersarios, est forma quadam incompleta, cum iuxta eos non sit totum ipsum, cuiusve subiectum, siue materies, & est etiam substantia: ergo est forma substantialis compositi: quemadmodum ergo ea, & similes consequentiae nullae, & illegitimae sunt; ita similiter illegitima, & nulla est ea consequentia, quae ex eo quod vnio humana actus, siue forma quadam, necnon substantia sit; eam esse formam substantialem deducitur.

30. Quocirca dicendum est, formam substantialem communiter taliter nuncupari à Philosophis, non eam, quae forma, & substantia est, sed eam, quae forma est; & cuius munus est vt quod, & primario diuersificare substantiam aliquam completam, quam constituit ab omni alia sub eodem genere proximo contenta: haud aliter ac actio substantialis communiter nuncupatur ea, non quae actio est, & etiam substantia, sed quae actio est, & cuius munus est substantiam producere: cum ergo vnio humana in nostra sententia, tamen si forma sit, id tamen muneris sibi non vendicat, vt hominem ab alio quouis animali diuersificet vt quod, & primario, sed duntaxat vt quo, & secundario, ac per modum causalitatis formae; certè forma substantialis esse, dici non meretur. Hac autem solutione vt nequeunt aduersarij: siquidem iuxta eos materia prima capitis, & anima rationalis nullo modo, & nedum primario, ac vt quod efficit caput humanum differre à corde: sola ergo vnio capitis est, quae id efficit.

\* \*

## CAPUT IV.

## Argumenta contraria solvuntur.

31. **P**artes organicas belluarum substantialiter dissimiles non esse tenent ferme omnes, quos supra pro assert. 2. retulimus: vnde arguunt primo: res diuersae speciei inter se continuari nequeunt: sed partes organicae belluarum inter se continuantur: ergo substantialiter dissimiles esse nequeunt: idque esto formis integraliter diuisibilibus, ac distinctis consent. Minor perspicua est. Maior probatur: tum quia alias res spirituales, & materiales quatuor elementa sibi contigua, equus, & leo verbi gratia naturaliter continuari possent, quae absurda, & commentitia sunt: tum quia vnio essentialis nequit esse inter extrema eiusdem speciei, cum actus, & potentia semper specie differant: ergo è contrario vnio integralis, & continuatiua nequit esse inter extrema diuersae speciei: sic, quia vnio essentialis interiicitur extrema loco penetrata, vnio continuatiua interiicitur extrema loco distincta: sic etiam, quia vnio essentialis interiicitur extrema essentialiter incompleta, vnio continuatiua interiicitur extrema essentialiter completa, videlicet duas aquas; sic demum, quia pereunte vnione essentiali aqua v. g. perit aqua; e contrario pereunte vnione continuatiua vnus aquae cum alia neutra perit, sed vtraque conseruatur: amba ergo vniones oppositas conditiones fortuantur.

32. Caterum res diuersae speciei continuari posse probant, tum ea, quae adduximus cap. precedenti, cum nostram sententiam confirmamus; tum etiam vnio graduum intensiōis, quae continuatiua valde affinis est, & iuxta plures aduersarios extrema dissimilia interiicitur: tum demum punctum, linea, superficies, & corpus, quae omnes dimensiones in ratione quantitatis specie distinguuntur, & tamen inuicem continuantur. Ad primum exemplum in contrarium adductum respondeo, illud vniuersim verum non esse: sicut enim punctum indiuisibile, & linea diuisibilis continuatur, cur res spiritualis, & res materialis, quamuis haec diuisibilis, illa verò indiuisibilis sit, inuicem tamen continuari nequeant, saltem in aliarum serie? Deinde eo exemplo tantum conuincitur, aliquas res diuersae speciei, non verò omnes continuitatis incapaces esse. Ad secundum exemplum respondeo: non ideo quatuor elementa naturaliter continuari nequeunt, quia sunt diuersae speciei, sed quia inuicem pugnant, & colluctantur; cum tamen naturalis continuas, & integralis vnio pacis, & amicitiae non verò inimicitiae, & luctae signum sit, vt vel ex ipso vnionis, & continuitatis vocabulo constat. Ad tertium respondeo: non ideo equus, & leo naturaliter continuari nequeunt, quia sunt diuersae speciei, & non eiusdem: siquidem si quid ea ratio valeret, duo equi naturaliter vniri, ac continuari possent, cum non diuersae, sed eiusdem speciei sint: ideo ergo non possunt vniri continuatiue leo, & equus, quia integraliter completi sunt: cum igitur partes organicae equi integraliter incompletae sint, mirum non est, quod continuari possint.

33. Hanc vltimam responsionem alij alique Recentiores multis impugnant, multique



propugnant: partes enim equi esse incompletas inquirunt, nihil aliud est, quam eas continuari, siue in vnum totum integrale coalescere posse: ergo, ubi eas continuari posse, eo quod incompletæ sint, asseritur, idem per se ipsa idem, & solis nominibus diuersum asseritur. Verum in primis breuiter dici potest, partes illas esse incompletas, easque continuari posse, tametsi sit idem re ipsa, ratione tamen nostra distingui, cum prius sit ratione nostra rem aliquam in se incompletam esse, quam per unionem cum alia cõpleri posse; ideoque hoc secundum accidat, quia illud prius verum est: at hæc distinctio rationis satis superque est, ne idem per idem vitiose explicetur, vt in homine per animal rationale explicato conspicuum est. Deinde verius est, non esse idem re ipsa, partes equi, aliatve quasvunque res incompletas esse, & naturaliter continuari posse; cum caput humanum, & collum equinum verbi gratia partes incompletæ sint, naturaliter continuari nequeant. Ad postremum exemplum respondeo, unionem essentialem in aliquibus quidem, non tamen in omnibus oppositas conditiones fortiri: alias, cum altera sit modus, & interdum substantia; altera nunquam modus, nunquamve substantia esse posset.

34. Arguunt secundo: vna, eademque animarationalis est simul intellectiua, sensitua, vegetatiua, & loco motiua; at non obstante hac operationum, & accidentium diuersitate anima rationalis diuersæ speciei à semetipsa non est: ergo, quamuis partes organice belluarum diuersas operationes, ac diuersa accidentia ab intrinseco, & per se sortiantur, non propterea diuersæ speciei esse censi debent. Respondeo: diuersitas operationum, & accidentium, tametsi propriè, & per se conueniat; non propterea distinctionem, ac proinde nec dissimilitudinem cum distinctione coniunctam semper arguit, vt exemplum nuper propositum conuincit: cæterum supposita distinctione adæquata duarum rerum in iis dissimilitudinem, & diuersitatem arguit, vt argumentum initio cap. præcedentis propositum suadet, & quod in præsentī opponitur, non dissuadet: ex quo fit, partes belluarum, supposita in eis distinctione formarum non posse non esse substantialiter dissimiles.

35. Arguunt tertio: materia cœlestis ab intrinseco & inamissibiliter formam cœlestem possidet, & tamen eam determinatè non exigit, sed vel eam, vel formam sublunarem; cum probabile sit, eam esse eiusdem speciei cum materia sublunari: igitur, tametsi caput equinum ab intrinseco, & inamissibiliter peculiare operationes, ac dispositiones possideat; non propterea eas determinatè postulabit, sicut ad diuersitatem specificam ab aliis partibus oportet. Ad hoc argumentum, missis aliorum responsionibus, quas in præsentī impugnatè non vacat, breuiter respondeo: cum forma cœlestis, vt aduersarij supponunt, incorruptibilis sit, eius propria, per se, & inamissibilis possessio in ipsiusmet determinatam exigentiam refundi potest, quin necesse sit, vt materia cœlestis eam formam determinatè exigit, sed potius vt ab illa determinatè exigatur. Hæc autem ratio non militat in accidentibus partium dissimilium corporis animati, quæ proculdubio corruptibilia sunt.

36. Partes organicas etiam hominis substantialiter

ter dissimiles esse tenent, plerique eorum, quos supra pro ass. i. retulimus: Vnde arguunt huc in modum: caput humanum, & cor humanum diuersas operationes, ac dispositiones ab intrinseco, & inamissibiliter sibi vendicant: igitur substantialiter dissimilia, ac specie diuersa sunt. Verum respondeo: vt diuersitas dispositionum substantialem dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam arguat, cadere debet super res distinctas, vt proximè insinuatum est: cum igitur caput humanum, & cor humanum quoad omnes vtriusque partes, partim numero, partim specie indistincta sint, diuersitas operationum, ac dispositionum nullam in vtroque membro substantialem dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam arguere poterit. Hic animaduertendum ad extremum huius capitis est, partes belluarum, tametsi ex suppositione superius posita dici debeant substantialiter dissimiles, tamen absolute loquendo esse substantialiter similes, & homogeneas: ratio est, quia omnes informantur vna atque indiuisibili forma substantiali, non verò integraliter multiplici, & diuidua, vt constabit in Metaphysica: vnde quæ argumenta suadent, partes hominis vna, eademque forma substantiali animatas eo ipso esse substantialiter similes, eadem suadent, atque persuadent similitudinem substantialem inter partes belluarum.



## TRACTATUS III.

De Vita nutritiua.

### CAPVT PRIMVM.

Nutritionem propriè vitalem esse verius est.

**C**VM significatio vocum arbitraria sit, & ex imponentium libito dependeat, quoties ea in questionem adducitur, sicuti in præsentī, authoritatis potissimum momenta spectanda sunt: iis autem spectatis vsque adeo certum est, nutritionem propriè vitalem appellandam esse, vt absque magna nouitatis, ac temeritatis etiam inuidia negari nequeat. Suadet ergo primo Scriptura, nam epistola i. ad Corint. c. 5. habetur; quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, & Ioan. 12. cap. nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, & Psalmo. 77. occidit in grandinem vineas eorum. Deinde suadet ex Patribus: nam in primis Augustinus libro 8. de ciuit. Dei cap. 6. inquit ibi: siue omnem vitam, vel quæ nutrit, & continet, qualis est in arboribus; vel quæ & hæc habet, & sentit, qualis est in pecoribus, &c. Dionysius etiam cap. 6. de diuinis nominib. inquit, ibi: ipsi enim nihil est contrarium; ex ipsa enim viuificantur, & circumfloreant, & animalia omnia, & plantæ; & siue intellectualem dicat, siue rationalem, siue sensibilem, & augmentatiuam, siue qualemcunque vitam, aut vitæ principium, aut vitæ substantiam, ex ipsa viuunt, & viuificantur, quæ est super omnem vitam, & in ipsa secundum causas